

5+6/92

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



TOMVS 15

FASC. 96

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Non saepe accidit, ut legentes ad symbolas in RUMORE VARIO divulgatas respondeant. Itaque valde gavisus sum animadvertens Martinum, socium nostrum et amicum, praefatione libelli 1/92 ad responsionem componendam (titulo 'De Christophoro Columbo sive de praeiudiciis nostris' in libello 3/92 publicatam) excitatum esse. Ut meministis de Americae inventionem scripseram. Quia periculum erat, ne ille eventus nimis glorificaretur et magna ex parte rebus indigenarum denuo neglectis tantum ex aspectu Europaeo describeretur et celebraretur, partes indigenarum defendens ex eorum aspectu rem considerare conatus sum. Itaque apparet non historiographi modo scribere (ceterum omnis descriptio factorum, etiam haec historiographi, ex aspectu scribentis fit et rerum interpretatio eius est) neque historiam generalem de moribus Indianorum componere me voluisse. Non historiographus, sed opressos defendens scripsi. Propterea omnia opprobria Martini me non historiographi munere functum esse in vanum eunt et fundamentis carent.

Multa scripsit Martinus ex suo aspectu, quae quasi complementa eorum, quae equidem sentio, probanda sunt. Tamen nonnulla eorum, quae scripsit, legens non retineri possum, quin satis mirer et pauca respondeam.

Ille, qui magnificis ponderosisque verbis praedicat, quae sint 'historiographo sincero et serio' vitanda et facienda, ipse praeiudiciis captus esse et imagines albas-nigras pingere mihi videtur. Praeterea nonnumquam non repugnat, quae scripsi, sed ea, quae me scripsisse falso supponit.

Magna ex parte iure queritur de condicionibus nostrae aetatis, sed si pergat 'qua de causa consentire non possum Danieli...' connexionem falsam nectit. Numquam enim scripsi nostram aetatem meliorem esse quam peractas. Si quasdam res gestas malas criminaque peractarum aetatum vitupero, eo non dico nos meliores vel exempla optima esse. Si quis scelera a maioribus commissa commemorat, ex eo non licet concludere

eum necessarie dicere aetatem suam meliorem esse. Omnibus aetatibus enim male et bona facta commissa esse et committi nemo nesciat. Itaque non est, quod in maiores nihil nisi reverentiam et laudem eorum habeam, de criminibus eorum sileam.

Martinus solum pessima de nostra aetate scribit. Si dixit nos bombam atomicam, pollutionem aeris, aquarum humorumque, torturas et alia mala nostrae aetatis oblivisci potius praeiudiciis suis quam factis regitur. Numquam animadvertisse videtur nostra aetate et multos homines singulos, quibus condicio terrae nostrae magnae curae est, et organizationes, quae animos nostros in ea mala, quae Martinus iure queritur, convertunt et illis mederi conantur, exsistere: Sunt societates rerum naturae et circumiectorum tutelae studentes, velut illae Anglice 'World Wildlife Fund' (WWF) et 'Greenpeace' (Pax viridis) nominatae, velut illa 'Societas Romae' (Club of Rom) hominum doctorum saepe frustra monentium, ne circumiecta destruamus, est Amnestia Internationalis (Amnesty International), Crux Rubra et Luna Media Rubra, Institutum Unitarum Nationum educationem, scientiae, humano cultui provehendo (breviter Anglice UNESCO), Institutum Unitarum Nationum infantibus adiuvandis (UNICEF), ut pauca exempla tantum commemorem. Dolendum quidem est, quod efficacitas illarum societatum saepe non tanta est, quanta sit desideranda.

Si Martinus scriptum meum diligentius legisset, videre potuisset me de Europaeis primis in Americam advenientibus non solum pessima scripsisse. Commemoravi illum virum quoque, qui maxime rebus Indianorum operam dedit, Bartolomé de las Casas, praeterea nonnullos alios fuisse. De crimina committentibus loquens dixi 'multi' id fecerunt, non 'omnes'. Si quis hic imaginem albam-nigram pingit, est Martinus.

Ceterum concedendum est saepius invasores profanos velut colonos et milites, etiamsi hi quoque christianos se vocabant et nomine Dei rem ecclesiae agere affirmabant, quam clericos crudelissime se gessisse. Qui quidem saepe crimina ab illis commissa prohibere non potuisse videntur, infirmitatis causa. Ne Caroli V imperatoris quidem leges ad indigenas tuendos edictae ab invasoribus et administratoribus Hispanicis in America observatae sunt, quia coloni ex

servitute indigenarum multum lucrum faciebant.

Tamen ecclesia et clerici non semper tam innocentes et integri mihi videntur, quam Martinus nobis persuadere velit. Testimonia legentes invenimus clericos et theologos, qui conati sunt servitutum indigenarum et eorum conversionem vi factam defendere et excusare. Videtur ecclesia nonnumquam illos, qui nomine suo vel Dei abusi totaliter aliter agentes christianos se vocabant, non potuisse vel noluisse semper retinere.

Recte Martinus commemorat coloni Americae septentrionalis in indigenas non minus crudeliores egisse. Sed catholicis Hispanicis plurima mala abluens expurgat et omnem culpam in Anglicos protestantes transfert. Aliam imaginem albam nigram-invenimus: Boni catholici - mali protestantes (praeterea non omnes protestantes calvinisti sunt). Simplicius et caecum mihi videtur, ex verbis illius generalis Sherman dicentis "Tantum Indianus defunctus Indianus bonus est" concludere, hanc mentem in America septentrionali tantum fuisse. Facta et testimonia docent hanc mentem etiam apud invasores Americae meridianae et mediae exstitisse.

Quid ad narrationem a Martino commemoratam de Quetzalcoatl, qui est deus Aztecorum, pertinet: fabula est nobis a chronistis Hispanicis tradita. In relationibus prioribus indigenarum non apparet. Narrationibus Aztecorum in lingua eorum 'Nahuatl' compositis haec traduntur: Quetzalcoatl Tulam urbem relinquens in terram Mayarum migravit. Deinde abiit, alii dicunt navem conscendens, alii illum igni devoratum et in stellam matutinam mutatum esse. His relatis nihil de reditione Quetzalcoatlis dicitur, nisi de illa reditione symbolica forma stellae matutinae. Cetera sunt interpretationes christianae. Re vera tum non deus albus caritatem erga omnes praedicans venit, sed Cortés.

Dubitandum est, num Indiani plerique sua sponte se ad illum deum, quem Europaei praedicabant, convertissent. Erant quoque, qui se interrogarent, cur deos suos amitterent et se ad illum deum sibi ignotum verterent. (Quod Martinus quoque non faceret, existimo, si qui venirent narrantes de aliquo deo ei ignoto et imperarent, ut ille deus accipiendus et verendus esset sine mora, cum suus deus, quem amat, repellendus esset). Hic quidam christiani rem nimis concinam fingere mihi videntur.

Si de benevolentia et pacificitate Indianorum scripsi, non generaliter de eis locutus sum, sed in contextu primarum occursionum. In tota America innumerabiles gentes indigenarum vivebant moribus culturis valde inter se diversis.

Valde miror, quod saepe, si de criminibus contra indigenas narratur, quidam ista quasi excusantes commemorant indigenas quoque inter se bella gessisse et dictatores habuisse. Partim id revera ita erat, partim id ab invasoribus dictum est ad excusanda sua facinora. Sed, Hercle, etiamsi inter indigenas erant gentes, quae inter se bellarent, etiamsi nonnumquam 'dictatores' regnabant, propterea facinora invasorum non una iota meliora fiunt vel excusantur! Iniuria et scelera excusari non possunt neque iniuria sceleraque esse desinunt, quae in eos committantur, qui non semper bellorum et controversiarum expertes erant. Interrogari quoque possit, quo iure invasores se in res internas illarum gentium immiscerent. Saepe 'libertatores' et 'salvatores' in occupatores et novos dominos non minus crudeles quam anteriores mutati sunt, quos 'liberati' non iam dimittere vel expellere potuerunt.

Cum dixi mores et cultus Indianorum nobis quoque utiles esse posse, Martinus solum unum exemplum unius gentis (Aztecorum scilicet) excerpserit commemorans illos deis suis homines immolavisse. Cum de laudandis moribus indigenarum loquimur, nullus homo mente sana dicat sacrificia hominum ipsa imitanda esse. Si Martinus finem praefationis meae bene legisset, ibi cognoscere potuisset, quae laudanda mihi videntur morum Indianorum: e. g. sodalitas profundior cum rerum natura. Sed Martinus praefert mihi false supponere me sacrificia hominum laudavisse. Exemplum adhibet, quod multum risum lenem mihi movit: Interrogavit, quid dicerem, si hodie (sic!) iter per Americam faciens ab Indianis hostia caperetur et deo solis immolaretur. Quod hodie vix accidere possit. Sed - per iocum - fingamus nos in saeculo XV^o esse, et Martino libenter respondeam. Non aliud sensissem ac si tum per Europam iter faciens a viris inquisitionis captus et igni crematus essem, nomine Dei et illius religionis, cuius conditor caritatem etiam in hostes praedicavisse dicitur. Paululo miror, quod saepe hominum sacrificia Indianis ab hominibus illius institutionis opprobrantur, quae eadem aetate ipsa homines religionis causa et nomine dei sui interficiebat.

Ultimum praeiudicium vel 'cliché' commemorem: Martinus retineri non potuit, quin omnes informationes, quae ei displicent, a factionibus sinistris divulgari credat. Illa imago alba-nigra et illud praeiudicium non est novum et a quibusdam semper semperque decantatur. Perpetua repetitione quidem non uno grano verius fit. Talia divulgantes errores duos committant: Primum omnia 'sinistra' a priori falsa et mala ducunt (quamquam non aliter ac alibi inter 'sinistra' et bona et mala existant), deinde omnibus, quae eis displicent, titulum 'sinistrorum' affigunt. Ita non facta vident, sed imagines inimicorum fictorum et saepe commenta opinionis impugnant.

Sed finem faciam. Non aegre fero Martinum de quibusdam rebus aliter sentire ac ego. Tamen mihi videtur, (ut dictum libri notissimi paulo mutatum adhibeam) ille trabem in oculo fratris sui videre, in oculo suo autem non videre. Aliud est, officia historiographi praedicare, aliud ipse sic agere. Aliud est aliis praeiudicia et imagines albas-nigras obicere, aliud ipse illa evitare.

Liber a Martino propositus Ursi Bitterli optimus mihi videtur, imprimis itinera detectorum invasorumque descripsit. Permittatis mihi, cari legentes, ut nonnullos libros legendo dignos - ut mihi videtur - ad scientias vestras augendas addam:

Testimonium illius aetatis ipsius nobis traditum est: Bartolomé de las Casas: 'Brevisima relación de la destrucción de las Indias' (Hispanice). Est translatio Latina anni 1598¹ titulo 'Indiarum devastationis et excidii brevissima narratio'. Translatio Theodisca edita est a Johanno Magno Enzensberger titulo 'Kurzgefasster Bericht von der Verwüstung der Westindischen Länder', Insel Verlag, 1981. Fernando Mires: 'Im Namen des Kreuzes' (Nomine crucis), Fribourg 1989. De quaestionibus theologis et politicis agitur.

Eduardo Galeano: 'Die offenen Adern Lateinamerikas' (Venae apertae Americae Latinae), Wuppertal 1973.

Frank Niess: 'Am Anfang war Kolumbus' (In principio erat Columbus), München 1991.

Helmut Knolle, '500 Jahre Verirrung' (Errores quingentorum annorum), Olten 1992.

Valete!



Daniel Weissmann



IN LITORE

(S. Alcaicum)

Umbræ. Preces nunc ad spatium poli
cellae nigrantes concipiunt pias.
Altare subsidit marinum.
Per vada sidera mox micabunt.

Iam luna solvit crinem agilis gravem,
ventosa pontum sollicitat febris.
Cum morte luctantur carina,
bucina verberat abdite aequor.

Aeternitatis delacrimans salum
firmas catenas urget et atterit.
Iam iamque lamentationem
alcyones geminant in undis.

Florindo Di Monaco

HERODEA NOVA

(Fabula nova de Herode rege)

Ierosolymae et in Bethlehem sumus.

Personae:

Herodes, rex Iudaeorum
Helias, Herodis uxor
Magi tres: Caspar, Melchior, Balthasar
Nuntius
Scriba populi primus
Scriba populi secundus
Chorus Iudaeorum

Introductio

Strepitus belli auditur: aeroplana, granatae, grando telorum sclopetorum...

Chorus intrat. Singulae voces audiuntur et cum strepitu belli commiscentur:

Et in terra pax hominibus
bonae voluntatis
Et in terra pax
Et in terra
pax.....

Chorus duabus partibus dispositus collocatur et in vicem loquitur:

A et B: Eheu, Herodes rex in nobis regnum exercet.
A : Vir peregrinus
B : Vir Idumaeus
A : Regnat crudeliter
B : Regnat superbe
A : Divitiis abundat
B : Nos autem in summa egestate sumus
A et B: Quando e servitute liberabimur? Quando adveniet
Salvator noster promissus a prophetis?

(Chorus exit)

Scaena prima

Personae: Herodes, Helias, nuntius, magi tres

- Herodes : (intrans) Herodes rex Iudaeorum sum, Romanis amicus, Iudaeis odiosus. Graeci, qui artes elegantes exercent, me pro amico habent. Hic autem inter homines molestos vitam ago. Hic...
- Helias : (intrans) Hic Salomonis psalmi soli recitantur. Cameli asinique comites nostri sunt. Citharae cantu assiduo aures nostrae offenduntur. Gemmariusne Atheniensis nondum adest? Varietas iucunda hodierni diei...
- Herodes : Quid dicis, mulier? Nonnumquam molestior es quam pharisaei...Nonne tibi petenti in omnibus rebus obsequor? Iam Iudaei hominem prodigum me nominant. Iam Graecorum favorem mihi crimini dant.
- Helias : Vir difficilis es, optime, et stomachosus. Nonne a Iudaeis Herodes Magnus nominaris?
- Herodes : Ab adulatoribus quidem.
- Helias : Nonne divus Augustus tibi provincias Syriam et Aegyptum mandaturus est?
- Herodes : Nihil attinet me Syriam Aegyptumque regere. A Iudaeis amari cupio.
(Nuntius intrat)
Quid vis, puer?
- Nuntius : Domine, reges tres ex oriente venientes te salutare cupiunt.
- Helias : O, viros orientales in deliciis habeo. Apportantne dona? Adduc eos, quaeso!
- Herodes : Salutatio eis praebetur.
(Nuntius exit, tum cum magis intrat)
- Caspar : Salve Herodes, vir magne et benigne...
- Helias : (irridens) Ha...
- Caspar : Salve etiam atque etiam, Helias; es vero liliium Iudaeae pulcherrimum.
- Herodes : (irridens) Ha...
- Melchior : Magi Persici sumus. E longinquis terris Ierosolymam venimus.
- Herodes : Ad me salutandum, credo.
- Melchior : Erras, domine. Causa adventus nostri alia est.

Herodes : Qua de causa venitis?

Balthasar: A te, domine, petimus, ut nos de quadam re mirabili certiores facias: Dic nobis: 'Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?'

Herodes : Hahahae, deliras, amice, aut mecum ioca agis... Ego quidem aetate floreo et filii mei iam adulescentes sunt.

Balthasar: Per iocum id non dixi, domine. Vidimus enim stellam regis novi in oriente 'et venimus adorare eum'.

Herodes : (vehementer) Fabulae! Stella vestra mendax est.

Caspar : Stellae numquam mendaces sunt. Non sunt uti homines.

Helias : (irridens) Fortasse Iudaei nobis insidias parant, fortasse nobis interfectis regem novum constituent.

Herodes : Tace, mulier. Res leviter dicis.

(ad reges) A causa vestra sto, amici. Sententias scribarum populi quaeram. Tum vos certiores faciam de ea re. Ego quoque regem novum adorare cupio.

Melchior : Gratias tibi habemus maximas pro auxilio tuo.

(Magi exeunt)

Helias : Reges isti rerum humanarum periti non sunt. Ne munusculum quidem mihi obtulerunt.

Herodes : De muneribus non agitur. Magnum periculum nobis imminet. Quam celerrime scribas populi interrogabo.

(exit)

Helias : Idumaeus iste vero animi pavidi est. Utinam in Graecia mansissem. Utinam viro Graeco nupsissem!
(exit)

Scaena secunda

Personae: Scribae populi, chorus

Scriba I : Herodes rex verbis nostris valde perturbatus est.

Scriba II: Rex magnus magno metu tenetur.

Scriba I : Venator fortis timet, ne plagis suis capiatur.
 Scriba II: Timet, ne modo Hyrcanis nepotis in balneis de vita migraturus sit.
 Scriba I : Recte dicis, amice. Sic enim secundum fidem testimonium diximus. Rex novus nobis in Bethlehem natus est.
 Scriba II: Ita scriptum est per prophetas; (legit) 'Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel'.
 (exeunt)
 Chorus (intrans):
 Suspensis animis futurum exspectamus.
 Fortasse nobis dux servator natus est.
 Fortasse Aristobuli necem persequetur.
 Difficile autem erit tyrannum de gradu deicere.
 Timemus.

Scaena tertia

Personae: Herodes rex, chorus

Herodes : Alienam vestem sumere et civibus me inserere soleo. Hoc modo de multis rebus certior fio. Vox populi plerumque verum dicit... Ecce, cives Ierosolymae!

(Chorus intrat sine ordine; homines sermocinantur inter se. Plerique considunt. Herodes quoque aliena veste indutus inter eos considit).

Vox I : Quam gaudeo! Herodes cunctis Iudaeis risui erit.
 Vox II : Quid accidit?
 Vox III : Nuntius regis, qui nobiscum stat, res miras narrat.
 Vox II : Quid narrat?
 Vox I : Herodes ad magos dixit: "Ite et interrogate diligenter de puero."
 Vox III : 'Et cum puerum inveneritis, renuntiate mihi, ut ego et veniens adorem eum.'

Vox I : Et magi 'abierunt et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos.'
 Vox III : Et magis viam monstravit. Et puerum invenerunt.
 Chorus : Fabula ea mira est. Risum autem non movet.
 Vox II : Pst, amici, attenti este! (ad vocem primam) Perge!
 Vox I : Et noctu magi in somnis vocem audiverunt. Quae eis dixit: Nolite redire ad Herodem.
 Vox III : Et magi per aliam viam in terras suas remigraturi sunt.
 Chorus : (ridens) Bene factum. Herodes vero illusus est. Magos semper exspectat.
 (exit)
 Herodes : Male factum. Magis perfidis auctoribus populus Iudaeae ludibrio me habet. Puer iste, modo natus, numquam rex erit. Inimicos meos vivos non relinquam.
 (exit)

Scaena quarta

Personae: Magi tres, nuntius. In itinere sunt.

Caspar : Iussu vocis divinae in somnis auditae nunc magnum circuitum facimus, ne ab Herode de puero interrogemur. Itinere defessus sum.
 Melchior : Noli queri de ea re, amice. Magno gaudio afficior. Vidimus enim puerum servatorem, qui 'salvum facit populum suum a peccatis eorum.'
 Balthasar: Conspectus pueri illius ex animo meo numquam excidet.
 Caspar : (circumspectans) Pst, tacete! Aliquem appropinquantem audio.
 Nuntius : (accurrens) Nolite timere, domini! Non iussu Herodis sed mea sponte huc adveni. Consilium auxiliumque a vobis peto.
 (Procul strepitus belli auditur)
 Nuntius tristis vero sum. Herodes enim valde iratus 'occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius a bimatu et

infra.' Populus Iudaeorum in summam desperationem adductus est. Vos imploro, ut mecum in Bethlehem eatis et populum certiore faciat de sorte pueri divini.

Balthasar: Sic tyrannus manus suas sanguine imbut. Sic omnem humanitatem ex animo suo exstirpavit.

Caspar : Dolemus de miseria vestra. Tibi autem quietem dari necesse est. Deinde te ad Bethlehem sequemur.
(exeunt)

Scaena quinta

Personae: Nuntius, magi tres, Helias, scribae populi duo, chorus

Chorus: Crudelitas Herodis in oppido grassatur.
Parentes miseri fora viasque ululatu implent.
Pueri innocentes furore tyranni occisi sunt.
Populus noster in summis angustiis est.
Quando ex tenebris trahetur?
Quando libertatis lucem spectabit?

(Chorus dissolvitur. Helias praeterit. Perturbata videtur)

Scriba I : Ecce uxorem Graecam Herodis! Eam comprehendite, nam culpae mariti affinis est!

Scriba II: Sinite eam! Iam mente capta est. Ubique sanguinem videt. Levitatis suae poenam dat.

Helias : Videte, amici, manus meae sanguine respersae sunt. Sunt rubrae, sunt purpureae. Maculas auferre volo. Non evanescunt. Lavatum ire debeo. Lavatum, lavatum....
(exit)

Scriba I : Animus eius perturbatus est.

Scriba II: Sequamur eam, ne vim sibi inferat.
(exeunt)

Nuntius cum magis intrat:

Audite me, Iudaei, audite. Ad vos adduco magos illos, qui puerum salvatorem viderunt. Veniunt huc, ut vobis aliquid solacii dent.

Chorus : Dolorem nostrum consolari non possunt.

Caspar : Rediimus vobis nuntiatum bonum allatum. Furores Herodis reprimere non possumus, sed lux quaedam nunc ipsi videri potest.

Chorus : Lucem illam videre cupimus.

Melchior : Nuntium mirabilem accipite: Puer divinus, rex futurus, necatus non est.

Chorus : Rem miram et incredibilem dicis. Ab initio omnia audire cupimus.

Balthasar: Fideliter vobis omnia narrabimus. Haud ignoratis stellam ex oriente nos in Iudaeam duxisse. Stellam hanc sequentes tandem domum pueri pervenimus. Et intrantes domum invenimus puerum 'cum Maria matre eius et procidentes' puerum adoravimus. Obtulimus ei munera: aurum, thus, myrrham.

Caspar : Et pueri pater, nomine Ioseph, postea in somniis angelum Domini vidit, qui dixit: 'Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum.' Et Ioseph verbis angeli paruit et in Aegyptum fugit. Manebit ibi usque ad Herodis mortem.

Melchior : Et Herode mortuo Ioseph cum puero in patriam remigrabit.

Chorus : Quando autem tyrannus e vita decedet?
Quando salvator noster regnum suum inibit?

Balthasar: Id ignoramus. Deus solus tempus salutis hominum statuit. Missus noster apud vos confectus est. Denuo nos in viam dabimus et in regiones nostras redibimus.

Vos autem, homines dolore metuque affecti, nolite vim vi depellere. Ad vitam recreamini!

Chorus : Verbis vestris fidem habemus, nam puerum salvatorem vidistis.

Ex ea fide magna spes nascitur.

Magi tres: Utinam ne umquam spem illam perdatis!
(exeunt)

(Chorus et nuntius exeunt. Audiuntur sonitus concertus natalicii (Concerto grosso modo minore g (g-moll)) ab musico Arcangelo Corelli compositi. Inter eos voces e choro:

Et in terra pax hominibus
bonae voluntatis.
Et in terra
Pax.

Barbara Maier

**Non licet hanc fabulam in scaenam producere nisi
permissione auctricis!**



**In Confoederationem Africae meridianaе salutandi causa
profecti eramus**

Tandem aliquando sorores meas duas, quae in Africa meridiana nuptae triginta iam per annos habitant, salutandi causa adii, uxore mea me comitante.

Durban est nomen urbis, quae sita est in litore Oceani Indici, urbs satis magna, pertinens ad provincia Natal nomine.

Quinto decimo die mensis Decembris anni MCMLXXXXII cum uxore aeroplano usus ab urbe Kloten, quae est aeriportus Turicensis, in Africam meridianam avolavi. Hospitalissime a sororibus meis recepti, quippe quae lacrimis vix possent temperare fratrem suum post tot annos tandem videntes, neque minus ego eram commotus sorores iterum videntes. Ambae sorores maritis earum mortuis nunc in eadem domo pulcherrimo horto circumdata habitant, communi administratione rerum domesticarum usae.

Iam a primis diebus autocinetis suis nos vexerunt circum regiones, quae optime sibi erant cognitae, vidimusque hortos zoologicos continentes animalia bestiasque, quales pristes, crocodilos, rhinocerotes. Pristes autem et crocodili dormiebant. Quapropter identidem de pristibus iocos

feci dicens me non credere pristes hominibus periculosas esse posse. Quindecim diebus post, cum ab Africa super mare mediterraneum in Europam volarem, valde timebam, ne aeroplanum in mare caderet, sicut pro poena iocorum, quos de pristibus fecissem, a priste quodam lacerarer.

Saepe sorores nos in urbem Durban vexerunt ad tabernas obeundas, ubi merces expositae ad sorores meas et coniugem meam magnopere pertinerent, cum ego plane alienus essem ab istis rebus, sicut sorores saepe adhortarer, ut tandem protinus venirent tabernamque relinquerent.

Pridie priusquam in Europam proficisceremur, leonum hortum visitavimus, qui Anglice 'Lion parc' nominatur, ibique in horto magno, cancellis clauso decem circiter leones ambulabant nosque autocineta vecti per medios leones ibamus. Supervacaneum est dicere nos fenestris portisque bene clausis per illum hortum vectos esse. Longius procedentes tres elephanti nos in via remorati depelli a nobis non potuerunt, sicut quadrantem horae in loco viae morari cogere. Denique custos quidam accurrit elephantosque abegit.

Per omnes hebdomadas quattuor, quibus in Africa meridiana morabamur, caelum serenum erat, sicut valde laetaremur arboribus plantisque meridianis, quae antea nobis fuissent ignotae.

Attamen quamvis cordialissime a sororibus meis simus accepti et quamvis sumptus vitae cottidianae in Africa meridiana parte plus dimidia minores sint quam in patria nostra, in Africa meridiana vivere nollem umquam. Etenim homines coloris nigri ibi vivunt quinquies plures quam Europaei, et seditio contra Europaeos poterit fieri opinione omnium celerius, neque multum proderit Europaeis, quod in eorum domibus periculi indices locati sint effractarios nuntiaturi.

Volatus ab urbe Durban usque ad Kloten fuit horarum undecim neque usquam aeroplanum destitit. Aeroplanum totam longitudinem Africae uno volatu supervolavisse valde miratus sum cogitans id ne centum annis antea quidem non potuisse fieri. In aeriportu Kloten ex aeroplano descendentes uxor egoque frigebamus, quippe qui ab aestate hemisphaerii meridiani veste levi essemus induti.

Emanuel Bernard

Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
IDIBVS APRILIBUS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM PROXIMO-
RUM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

1. felices (fem.)
2. permaneat vel corroboret
3. asporto
4. pavor
5. scirpiculo (Abl.)
6. stragulum stramenticium

Daniel Weissmann



DE CATULLI PERCONTATIONE

Colloquii personae:

Catullus, poeta

Valeria, diurnaria (vel potius, hebdomadalis libelli confectrix)

Val. Dis gratias ago: quo tendebam, aliquando tandem perveni. Hic spiritum impune trahere licet, longo squalentium locorum horrore oculi recreantur. Dum autem hispidi portitoris cymba iactatur, paulum afuit quin vomerem. Dispeream, si alium virum, in Averno iacentem, iterum percontandum suscipiam!

Cat. Viginti iam fere saecula exacta sunt, ex quo ultimis haec loca umbris iubente Aeaco patuerunt. Cunctis enim gentibus euangelizatis, in alia regna animas distribui unico Deo placuit. An in eo est, ut pristinus Olympiis honos reddatur?

Val. Noli, quaeso, rationi repugnantia mente concipere. Mihi Valeriae nomen est, hebdomadali libello, qui Mediolani editur, conficiendo operam do. Nuper vero Catullum poetam de variis argumentis interrogandum moderator mihi mandavit.

Cat. Forte fortuna Catullo ipsi, Italica puella, occurristi.

Val. Optime quidem! Missis igitur ambagibus, percontandi nunc initium faciamus. Cur in Elysiis campis, beatorum sede, non in Tartaro, domicilio impiis destinato, complura iam saecula moraris?

Cat. Quia hac mercede di pietatem meam remunerari dignati sunt.

Val. De qua pietate loqueris? Nihil in carminibus tuis, quod ad deos rite colendos pertineat, si recte interpretor, legi potest.

Cat. An tam parvi deos animi esse existimas ut, qui ipsorum numina invocaverint, erga eos tantum misericordes se praebeant? Quis vero me in amicos liberalior umquam fuit? Quis feminae unice dilectae fidelior? Quis fratris vita defuncti vehementiore desiderio affectus est? Haec omnia, si ignoras, pietatis signa a diis iudicari solent.

Val. Quid de Lesbia factum est?

Cat. Tergeminis tradita sororibus iustas perfidiae suae poenas in aeternum luit.

Val. De ea supplicium una sumitur, an aliae mulieres eadem, qua ipsa, ratione cruciantur?

Cat. Plures quidem ibi puellas matronasve laborantes, quam pisces in mari natantes, reperias. Ut aliquas exempli gratia memorem, Cynthia, aseva Propertii domina, ac Delia, immitis Tibulli regina, convenienter illic puniuntur. Laura autem, quae Arretini poetae amori minime respondit, ac Ferrariensis Heleonora, infelici cuius amore ad mentis paene insaniam deductus Torquatus est, consimili poena in infernali Christianorum sede affici dicuntur; at parum veri simile est.

Val. Tam triste fatum, puellae tuae assignatum, nonne te lacrimare cogit?

Cat. Crebriores propter eam vivam lacrimas fudi, quam ut pro ea mortua fletui etiam nunc indulgeam.

Val. Te vero vivente haud pauci viri in urbe Roma clari exstiterunt. Quid de singulis existimas, obsecro, singillatim expone. A Caesare incipiamus.

Cat. Numquam ut ei gratus fierem operam dedi, neque quid de me ille sentiret mea ullo modo interfuit. Ceterum audi: per eum Nonius, quem 'strumam civitatis' merito appellaverunt, in sella curuli sedit; per eum Vatinius, quem frustra in iudicium Calvus vocavit, consulatum, pluries petitum, tandem adeptus est; per eum Formianus decoctor ingentes in Gallia divitias cumulavit. Hominem ex amicis fautoribusque eius agnosce.

Val. Ad Ciceronem transeamus.

Cat. Iste vero, qua vaniloquentia erat, se omnium patronorum optimum, id est ex omnibus oratoribus praestantissimum, esse praedicabat; ego autem, quae mea est mordacitas, eum optimum omnium patronum, id est venalem garritorem cuilibet reo defendendo paratum, callide salutavi.

Val. Quid de Clodio?

Cat. Satis de furcifero isto dictum fore, si Lesbiae eum fratrem fuisse commemoraveris, pro certo habeto.

Val. Nostin Catilinam?

Cat. Quantum et in senatorio et in equestri ordine putoris sordiumque inesset, probe intellexit. Remedia autem vitiis ipsis deteriora (servorum scilicet tumultus, tectorum in-

centia, muliebres machinationes) adhibere in animo habebat.

Val. Quid de amicitia sentis?

Cat. Quicquam ad solandos erigendosve animos amicitia aptius esse equidem nego. Quanti vero ipse amicalia vincula duxerim, quae feci vel scripsi testimonio omnia sunt. Ut aliqua saltem exempla afferam, sudaria quae muneri ex Hiberis Fabullus et Veranius mihi miserant, ita amavi, ut ipsos doni auctores; tanta erat Calvi postero mane vivendi alloquendique cupiditas, ut per totam noctem, dum lucesceret impatienter exspectans, in lecto quondam versarer; quae animi sui arcana Cornelius mihi commiserat, nemini umquam (aliter atque Romae temporibus illis usu venire consuerat) ego patefecerim. Cave autem arbitreris gaudia ex amicitia sola percipi: Alfenum, qui semper in calamitatibus affore se mihi pollicitus esset, mei, aliquid modo solacii desiderantis, nil miseritum est; Rufus, cui inseparabilem proponenti familiaritatem pro candore meo toto pectore credideram, puellam, in cuius amore omnem spem ponebam, latronis ritu inverecunde eripuit.

Val. E multis Graecorum poetis argumenta quaedam hausisse diceris. Cuinam ex illis artiore coniunctus esse affinitate tibi videris?

Cat. Lesboae procul dubio poetriae, per quam quid ipse sentirem penitus cognovi.

Val. Quem vero e Latinis, qui te aetate antecesserunt, poetis imitatus potissimum es?

Cat. Nullum.

Val. Mentio, quam de Francisco Petrarca ac de Torquato Tasso fecisti, posteriorum quoque saeculorum poetas satis te nosse plane significat...

Cat. Ita est. Libris, ephemeridibus, cinematographicis taeniolis usus, omnia quae inter tempora mea et tua facta sunt (non poetarum opera modo) in notitiam meam pervenerunt.

Val. Quae cum ita sint, quem ex Italicis poetis praecipue admiraris?

Cat. Hugonem Foscolo qui, ut alia praetermittam, fratrem dilectissimum et ipse tristissimo casu amisit, eiusque mortem carmine, carmini meo simillimo, peregre questus est.

Val. Quid de feminis generaliter existimas?

Cat. Unam experire mulierem: omnes cognoveris!

Val. Ergo nihil inter Lesbiam et Quintiam interesse inferendum est.

Cat. Me pugnancia loqui, vaferrima puella, cogere quidem vis. In insidias autem, quas mihi paravisti, profecto non incidam. Lesbia et Quintiae et ceteris aetatis suae puellis corporis forma longe praestitit; quod vero ad animi virtutes, id est constantiam, fidem, sinceritatem pertinet, quin omnes omnium temporum feminae pro nihilo habendae sint, noli dubitare.

Val. Quae de bellis externis, civilibus, socialibus, servilibus, quae primo ante Christum natum saeculo multa et varia terra marique gesta sunt, opinio tua est?

Cat. Propertio equidem assentior, qui paucis post me mortuum annis id unum bellum, quod cum amica vestibus exuta in lecto fieret, probandum esse, peropportune scripsit.

Val. Quod nuper respondisti, Propertium admirationi tibi esse absque dubio declarat.

Cat. Et ille ingratae feminae amore deperiit: nimium tamen, in ardore suo effingendo, mythologicis digressionibus abusus est.

Val. Quid ergo de carmine libelli tui sexagesimo quarto dicamus?

Cat. Allegorice interpretandum est: felices enim Pelei Thetisque nuptias maestissimis Ariadnae, a Theseo relictas, querelis hac mente opposui, quo patentius liqueret quid ego in amore fiduciae plenus quaesivissem, quid autem, adversa contristatus fortuna, ibidem invenissem.

Val. Lesbiam quoque in carmine duodeseptuagesimo Laudamiae illi, Protesilai uxori, si bene memini, comparavisti. Scire velim num ad hunc quoque locum recte intellegendum allegorica opus sit interpretatione.

Cat. Cur ut certis intervallis sermo de Lesbia incidat, immisericors puella, de industria facis?

Val. Tantum abest ut vulnus ad cicatricem venerit, ut contra in annos, vel potius in saecula, vehementius recrudescat. Aegritudini isti, qua laboras, parcam, ad aliud transibo argumentum. Quod e ridiculis iocosisque epigrammatis, quae perfacete pepigisti, laude dignissimum arbitraris?

Cat. Numquam, mea quidem sententia, necopinatam clausulam (quod Graeco vocabulo ἀπροσδόκητον designari solet) efficaciorum excogitare valui, quam in carmine octogesimo qua-

rto, quo Arrium, immoderato litteras aspiratione pronuntiandi studio flagrantem, vel Ionios fluctus sermone suo rustico turbantem, id est e Ioniis Hionios sive procellosos facientem, lepidissime induxi.

Val. Sunt qui putent a Martiale te epigrammatica felicitate superatum esse...

Cat. Ab istis plane dissentio: nimium in corporis vitiis depingendis Martialis perseveravit. Quot anus edentulae, quot feminae luscae apud eum inveniuntur!

Val. Nihil, ut par est, aetati meae cum tua commune esse reris.

Cat. Falleris: vos quoque enim decoctoribus, ambitiosis hominibus, venalibus mulierculis quidlibet, dum notescant, agere vel pati paratis, ut video, abundatis, integris autem abstinentibusque magistratibus, doctis viris in studia sedule incumbentibus, prudentibus matribus familiis domesticis negotiis contentis miserabiliter caretis.

Val. Quid de mulieribus aetate mea viventibus censes?

Cat. Iis, quae superioribus saeculis vixerunt, nec meliores nec peiores sunt.

Val. Hoc autem antiquis feminis hodiernae praestant, quod iisdem, atque mares, muneribus scite explendis idoneae vulgo iam existimantur.

Cat. Vitiis tantum, quod plerumque fieri solet, non virtutibus, viros aequare vobis contigit.

Val. Inurbanior quidem es: nam et ipsa femina sum!

Cat. Et ea insigni corporis venustate praedita...

Val. Quid? Inurbanitatemne a te in assentionem tam repente conversam esse!

Cat. Quot annos nata es?

Val. Tertium et vicesimum annum ago. Te vero percontandum mihi esse, non ipsam tibi, amice, memento!

Cat. Estne tibi sponsus, vel amasius? An uno tempore plures?

Val. Nullus.

Cat. Vix credibile narras.

Val. Atqui hoc sese modo res habet. Mihimet ipsa sufficio.

Cat. Istud quidem novum est: temporibus meis tantum mulieres aspectu foedae in solitudine iacebant. Qui accidere potuit, ut tanta morum mutatio fieret?

Val. Viris iuribus atque condicionibus pares esse numquam

feminae non cupiverunt: alia vero saeculo alio ratione id propositum ad effectum adducere conatae sunt. Primam sexuum aequiperandorum auctricem Lesbiam exstitisse equidem adfirmaverim. Quidni enim cum pluribus illa amasiis belle consuesceret, cum permultas cognoscendi mulieres facultas maiorum more maribus concederetur?

Cat. An hoc persuadere mihi studes, cum femina, quam in matrimonium modo duxit, hodiernum marem tum primum coire?

Val. Et istud, quod admirationem tibi movet, non numquam fit. Cur furtivis genae tuae lacrimis nunc rigantur?

Cat. Utinam vestra nasci aetate nobis contigisset! Potioribus enim honestioribusque, quam adulterina volubilitate, rationibus innatum libertatis desiderium exsaturare Lesbiae licuisset!

Val. Pro ea igitur, aliter atque ante dixeras, lacrimas iterum fundere coepisti.

Cat. Ita est, quo animo negem? Me invitum haud semel modo de ea tute admonuisti: quid mirum, si retinenti lacrimae exciderunt? Prati ultimi florem, fatebor enim, praetereunte aratro deiectum, quotidie fere (nam et hic noctu dormitur) somnians conspiciere videor, symbolicam amoris mei infelicis imaginem. Flosculus ille autem, solo vixdum aequatus, nescio quo prodigio, gracillimo pediculo suo innixus rursus erigi videtur, inexstinguibili me flamma arsurum esse significans.

Val. Hoc tibi ingenti esse sollicitudini confitere, quod procul a te Lesbia abest.

Cat. Sit sane ita, uti dixisti, aeternis Lesbiam damnatam esse suppliciis iniquissimo tuli animo; non tam impius tamen sum, ut in eius moribus iudicandis Rhadamanthum erravisse putem.

Val. Lesbiam vero te infortunatiorem fuisse dicere ausim. Si centum enim fere post annis nata esset, clementior iudex, a quo obstinatoribus contumacioribusque peccatricibus ignotum esse accepimus, ei datus esset.

Cat. De Iesu videlicet loqueris. Cur autem paradisiacis ipse laetitiis excludor? Cur a misericordiore iudice veniam impetrare puella mea non potuit?

Val. Noli te eiusmodi quaestionibus, quibus respondere nefas sit, excruciare. Tu enim, et Lesbia per te, famae aeternitate, quod praemium ab iis, qui ante Christum natum


vixerunt, maximum ac prope unicum habebatur, donati estis: quamdiu terrarum orbem lumine suo sol collustrabit, memoria vestri ex hominum animis numquam evanescet.

Cat. Abiturane es?

Val. Ut probe nosti, imprudentis est longiorem Charonti commorationem imponere. Ceterum alii clari viri percontandi mihi sunt. Vale, summe poeta.

Cat. Vale, puella.

Orestes Carbonero



Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Tramen sumite
(Get on board)

Verba rependa

Tra- men su - mi- te, vi - ri, tra - men

su - mi-te, vi - ri, tra-men su - mi-te,

vi - ri, cui se - di - um sa - tis est.

Facete lepideque dicta



1. Ven - tu - rum sanc - tum tra - men iam



es - se au - di - o et ro - tu - las vol -



ven - tes per ter - ram vi - de - o.

2.
Tintinnat sibilatque,
trans curva vehitur.
Intendens nervos omnes
vapore geritur.

3.
Stationi appropinquat,
peccator, propera,
ut tesseram attingas,
iterque exspecta!

4.
Non multo constat iter,
quod patet omnibus.
Non est secunda classis,
non varius obolus!

5.
Non alterum sequetur
hanc tramen lineam.
Omisso hoc delebis,
peccator, animam!

Versio Latina: Martin Meier



Sancta missa finita uxor "Vidistine", interrogat, "vestem splendidissimam mulieris ante nos sedentis? Et petasum vicinae dexterarum? Et camisiam mollem iuxta nos?" Maritus: "Non vidi, dulcedo mea, propterea quod paululum obdormivi." Ad quae uxor vituperans: "En, ea de causa ecclesiam adis!"

"Thematibus de hodiernis septimanatim relatus offerimus, sedes refertae sunt, scamni genuflectionis non iam sunt, grex iassiacus (Jazzband) unoquoque mense bis canit. Attamen in dies pauciores homines ecclesiam adeunt. Quid faciendum est?" parochus quidam queritur. Respondet alius: "Suadeo, ut religionem adhibeas."

Estne nota vobis differentia inter Deum et Ioannem Paulum papam secundum? - Deus ubique est, Ioannes Paulus ubique erat.

Franciscus Zauner, episcopus Austriacus, autobirota vehi amabat. Die quodam autobirota munere non iam fungente episcopus coactus est, ut in viae margine vehiculum restauraret. Custos publicus forte praetervehens subsistit et: "Nonne mechanicus es, domine?" interrogat. "Non sum", Zauner respondit, "sum episcopus." Ad quae custos publicus ridens: "Si tu episcopus es, ego sum papa!"

Annos iam per multos parochus in eodem vico fuerat. Attamen peccata non minuta, sed immo amplificata esse ratus Christifidelibus homilia vehementi viam rectam ostendere suum esse putabat. "Quid agam", exclamavit, "die novissimo? Deus mihi dicet: 'Ecce, pastor, oves tibi mandavi, et quid mihi reportas? Boves facti sunt!'" Tunc rusticus senior ad vicinum: "Haud malum negotium fecerit Deus bonus!"

Nuper iesuita et capucinus inter se sermocinati sunt. Iesuita: "Habes barbam Iudae Ischariotae veram!" Tunc capucinus: "Erras, optime. In sacra scriptura nusquam legitur Iudam barbam habuisse, sed legitur Iudam in societate Iesu fuisse!"

Ingravescente feбри vexatus parochus die Mercurii cinerum in lecto iacet. Sacristanum arcessit, qui crucem cineream

Christifidelibus pro paroco distribuatur. Sacristanus: "Quid mihi dicendum est?" - "Memento, homo, te esse pulverem et ad pulverem rediturum."

Sacristanus haec verba iterum iterumque repetit, sed vesperi eorum non iam recordatur. Desperans fere ad parochum properat et "Quid mihi dicendum est?" interrogat. Parochus aegre ferens: "Asinus es et asinus manebis?" Tunc sacristanus non diutius morans in ecclesiam currit et unicuique crucem cineream distribuens "Asinus es", inquit, "et asinus manebis!"

E turis regionem Amazoniensem perlustrantibus quidam episcopum missionarium compatriotam adire in animo habet. Iuxta casulam stramenticiam virum invenit sub autocineti iacentem et vehiculum reparantem. "Excusa", inquit, "domine. Potesne mihi dicere, ubi sit Sua Excellentia, episcopus reverendissimus?" Tum ille: "Ego sum episcopus. Sed si vis anulum meum osculari, en, eum sub fenestra deposui."

Doctissimis professoribus academicis theologis tribus mortuis examen theologicum subeundum est. Primus Carolus Rahner prae Deo vocatur, sed diem iam post unum e caelo emittitur, quod quaestiones non recte solvit. Secundus vir examinandus est Iosephus Ratzinger cardinalis, qui post septimanam integram de caelo fugatur, cum sit nimis ignarus. Tertius accessitur Ioannes Küng. Dies praetereunt, septimanae, menses....denique Deus e caelo expellitur.

A domo editoria Scotia (sive Caledonica) chartula felicitatoria editur texto hoc: "Exoptamus natalicia quam laetissima, annum novum faustum felicemque, benedictum festum paschale et pentecostale, optima quaeque in dies natalicios familiae vestrae et in baptismata, nuptias iubilaeaque cuncta!"

Non a multis amatus parochus aliquando in homilia "Dominus noster", inquit, "Iesus Christus me alio loco indiget. Vos ergo relinquam." His vix dictis praesentes omnes sicut una voce "Te Deum (laudamus)" cantaverunt.

In caupona quadam usque mediam noctem grex hilaris considens de variis rebus locutus est. Inter taliter disputantes etiam parochus loci erat. Caupo hominibus vix potuit persuadere, ut domum redirent. Parochus: "Haec res mihi

multo facilius est. Me locuto 'Ite, missa est!' homines statim exeunt." Tunc caupo: "Est differentia quaedam: Apud vos uni tantum licet bibere!"

"Estne inter vos, qui sciat, quam diu Adam Evaque in paradiso morati sint?" parochus e discipulis quaerit. Puer quidam: "Usque ad Idus Septembres!" Parochus: "Unde hoc scis?" Puer: "Antea mala matura non sunt."

Laeta Iulia parvula cum parentibus sanctam missam paschalem participat. Qua finita parentes ab ea scire volunt, quid ei optime placuerit. Iulia: "O", inquit, "maxime gavisum sum, quod homines semper me vocaverunt." Parentes perturbati: "Quid ais? Neminem te vocantem audivimus." Tunc Iulia: "Nonne audivistis omnes cantantes 'Hallo, Iulia!'" (Halleluia)

A patre Paulo Paululus parvus monetur: "Patri guardiano dicas: 'Tibi, pater guardiane, gallum affero.'" In via puer semper "Guardiane, gallum, gallum, guardiane" repetit, ut denique guardiano: "Tibi", aiat, "pater galle, guardianum affero."

Martinus Meier



DE ASTRONOMIA ET DE ASTROLOGIA

Circa octavum millenarium ante aetatem nostram, in Nili valle et in Mesopotamiae campis, magni momenti incipit mutatio socialis:

Agricultura et cultus pecuarius in lucem suscipiuntur. Sumeriani, qui Mesopotamiam incolebant, litterarum artem excogitaverunt et res caelestes cum rebus terrenis arte coniungi assumpserunt: hoc principium erat artis vaticinandi. Huius temporis hominibus, mundi elementa vitae ipsius suae simulacra esse videbantur. Procella, terrae

motus, scaturigo, nihil aliud esse poterant quam "anthropomorphicarum" creaturarum opus.

Aegypti agri sitiennes Nili incrementis uberantur. Genti- bus, quae eos incolebant, calendarii opus erat quo ea in- crementa prospicere et domare possent. Quod opus triginta Pharaonum domus per millenaria perfecerunt (a tertio mille- nario ad primum A. C.). Etsi astronomiae Aegypticae princi- pia maxime erant actiosa (ad Nili incrementa prospicienda), Sol pro deo habebatur (nomine Ra), qui semper in flumine caelesti navigans effingebatur.

Praeterea phaenomena, quae in caelo incomposite apparebant, parvi momenti videbantur, quia astronomia ad vitam regendam potius usurpabatur. In Aegypto astrologia cum imperio Graeco incepisse dici potest.

In Mesopotamia, caelestia aliter habebantur: eventus terre- stres caelestibus respondent. Cum vita haud facile regi possit, caelum intellegendum est, ut futuri monita inveni- antur.

Apud Sumerianos "eadem causae eosdem producent effectus". Tali modo prospicere conati sunt tempestatem, patriae prosperitatem, valetudinem regis, qui pro populi persona habebatur. Tunc astrologia vastissimi videbatur momenti. Astrologi Babylonici modis, qui sibi erant in promptu - e. g. planetarum motibus, lunae phasibus - caelum inspexerunt. Ad computationes suas perficiendas, sacerdotes et astronomi "basim sexagenariam" elegerunt (negotiatores autem "basi denaria" utebantur).

Animadvertendum est duas notas ad omnes numeros scribendos sufficere:

' unitatem designat,

< numerum decimum,

e. g., numerus 108, qui basi denaria designatur:

1 x 100 + 0 x 10 + 8,

basi sexagenaria designari potest:

1 x 60 + 4 x 10 + 8,

et scriptio Sumeriana scribatur:

' <<'111
<<'111

Item 63 est

' '11

et 72 est

' <'11

Notandum est de hoc systemate adhuc aliquid superesse:

una hora = sexaginta minutae

et una minuta = sexaginta (minutae) secundae.

Astronomi Babylonici calendarium solare et calendarium lunare conciliare conati sunt: annus lunarium rationum (lunaris ratio (Plin. in QUICHERAT): Lunaris cursus completus. Gall.: lunaison; Angl.: lunation; Ital.: lunazione; Theod.: Mondwechsel) numero integro compleri debebat.

Animadvertentur planetas prope lineam eclipticam moveri, ubi triginta sex stellarum globos locaverunt, qui postea in duodecim zodiaci constellationes reducti sunt. Coniunctionem quoque inter planetas et constellationes invenerunt. Dicitur enim potest astrologiam hodiernam valde ex astronomia Babylonica pendere, cuius apex saeculo IV. A. C. situs esse videtur.

Sed summum problema ad calendarium instituendum pertinet, id est agriculturae opera, fastos, vectigalia etc. ordinanda. Etiam si agricultura et publicani moram aliquam tolerare potuerunt, dei propter fastos erant acerrimi: sacra cum astrorum cursu coniunguntur et eodem die in omnibus imperii provinciis celebrari debent.

Ratio lunaris 29 aut 30 dies valet (29,53 d.) et annus lunaris 12 rationibus (seu mensibus) lunaribus completur. Itaque annus lunaris 12 x 29,53 = 354 diebus completur. Babylonici autem annum 360 dierum elegerunt (fortasse propter basim sexagenariam, vel circulum in 360 gradus divisum). Aegyptii quoque 360 dierum anno usi sunt. At calendarium lunare aliam difficultatem praebet: anni tempora citius progrediuntur quam rationes lunares.

Relatio inter annum solarem et annum lunarem ab astronomo METONE (V. saeculo A. C.), qui tamen methodo Babylonica origine nitebatur, definita est:

Cum 19 anni solares valeant 6939,6 dies | vel 6940 dies

et 235 menses lunares valeant 6939,7 d. | secundum Metonem

et cum 19 anni lunares valeant 19 x 12 = 228 menses lunares

id est 228 x 29,53 = 6732 dies,
his 12 annis lunaribus desunt:

235 - 228 = 7 menses lunares
et 6940 - 6732 = 208 dies

id est 5 menses 30 dierum
et 2 menses 29 dierum,
qui ut tertius decimus mensis ad 7 ex illis 19 annis adiun-
gendi erunt.

N.B. Metonis parvum errorem (6940 pro 6939,6 vel 6939,7)
HIPPARCHUS NICAEENSIS (180 - 125 A. C.) correxit.
Hoc calendarium, quod civitates Babylonica et Hebraïca
adoptaverunt, calendarii liturgici christiani fuit funda-
mentum.

Aegyptii rationes lunares dereliquerunt et menses 30 die-
rum, in 10 dierum decades divisos (fortasse propter systema
denarium) instituerunt. Annus Aegyptiacus 12 mensibus vel
360 diebus complebatur. 360 diebus complebatur. Itaque mil-
lenario tertio A. C. Aegyptiis summae simplicitatis iam
aderat calendarium: 12 menses 30 dierum, quibus 5 dies
"extra menstruos" quotannis erant addendi, ad progressionem
anni temporum ordinandam et praecipue ad Nili incrementa
prospicienda. Illud tamen calendarium imperfectum erat: ei
deerat quarta diei pars qua ab eodem "annus tropicus"
differt. Nihilominus duo milia annorum viguit.

Calendarium Romanum intricatissimum fuisse videtur. Itaque
philosophus c. n. VOLTAIRE (Franciscus Maria AROUET, 1694-
1778) scribere potuit:

"Les généraux romains triomphaient toujours, mais ils ne
savaient pas quel jour ils triomphaient" (Duces Romani sem-
per triumphabant, sed quo die triumpharent ignorabant).

Calendaria Romana pristina rationibus lunaribus nitebantur.
Annus aequinoctio verno tamen incipiebat. Menses quattuor
principales Diis dicabantur: Martio (31 dies), Veneri seu
Aphroditae - mense Aprili (29 dies) -, Maias (31 dies),
Iunoni (29 dies). Menses ceteri, qui cum agricultura minus
coniunguntur, adiectivis ordinalibus vocabantur: Quintilis
(31 dies), Sextilis (29 dies), September (29 dies), October
(31 dies), November (29 dies), December (29 dies).

Eis addendi fuerunt duo menses breves: Ianuarius (29 dies)
et Februarius (28 dies). Qua re annus tantum 355 diebus
complebatur. Oportebat ei addere nonnullos alios dies. Ad
hoc perficiendum, altero aut tertio quoque anno, mensis
"Mercedonius" vocatus, inter dies 23^{um} et 24^{um} mensis Fe-
bruarii intercludi solebat.

Superstitione quadam cum illo sytemate coniunctam notare
possumus: "Numero Deus impare gaudet."

Anni enim menses imparibus dierum numeris complebantur
- praeter mensem Februarium, qui nefarius videri poterat,
propter dies suos 28, altero aut tertio quoque anno mense
"Mercedonio" disiunctos!

Iulii Caesaris tempore, vera incipit calendarii reformatio,
quae ab Alexandrinis astronomis, imprimis Hipparcho, in-
spirata est. Sicut apparet e solis observatione, annus 365
diebus et quadrante completur. Itaque, in calendario Iulia-
no, post tertium quemque 365 dierum annum, unus 366 dierum
annus consequitur. Astronomus Alexandrinus SOSIGENES annum
in 12 menses partitum, qui e rationibus lunaribus non am-
plius penderet, proposuit. Annus mense Ianuario incipit,
post solstitium brumale. At anni menses, sicut eos nunc
novimus, ita dispositi sunt:

Ianuarius (31 dies), Februarius (28 aut 29 dies), Martius
(31 dies), Aprilis (30 dies), Maius (31 dies), Iunius (30
dies), Quintilis (31 dies), Sextilis (31 dies), Semptember
(30 dies), October (31 dies), November (30 dies), December
(31 dies).

Hoc calendarium Iulianum Caesare Augusto imperante institu-
tum est. Exspectandum fuit usque ad saeculum 16^{um}, id est
quando astronomia accuratior facta est et ecclesia cum papa
GREGORIO XIII. potentissima, ut nova oriretur reformatio:
Calendarium Gregorianum. Oportebat enim anni veram duratio-
nem (365,2422 dies potius quam 365,25) restituere, id est
dies oblitos recuperare numerumque annorum bissextilium
minuere.

De astrologia cum agatur, Romani hariolos Chaldaeos perqui-
rebant. Religio enim Romana praeceptis ethicis maxime
nitebatur, astrologia autem Graecis Orientalibusve sapien-
tibus colebatur. Sed saepius in dies servi Graeci vel
Syriaci ut astrologi conducebantur et optimatibus Romanis
(e. g. Scipionum familia) protegebantur.

Animadvertendum est Romanos prohibitos esse artem astrolo-
gicam exercere. Eodem tempore (80 A.C. - 100 A.D.) toto in
imperio Romano maxime floruit astrologia. Adhibebantur
opera picta inaurata notis astrologicis ornata, lapidesque
pretiosi cum natali astro coniuncti. Parietes signis Grae-
cis astrologicis ornabantur.

Astronomiam et astrorum mythologiam poëtae noverant, sicut VERGILIUS, HORATIUS, OVIDIUS, PROPERTIUS. Augusti imperio exeunte, MANILIUS longum scripsit poëma c. n. "Astronomica", de astrologia tractans, in quo hanc Stoicorum sententiam sequitur, fatum esse in astris:

"Fata regunt orbem, certa stant omnia lege."


Tempore a Nerone ad Diocletianum elapso, astrologorum politicorum potestas minuitur, Graeca autem doctrina astrologica augetur: multi tractatus astrologici, Graece scripti, a Traiano imperante ad Marcum Aurelium editi sunt. Opus praesertim Claudii PTOLEMAEI Alexandrini c. n. "Tetrabiblos" (90 - 168 A.D.) per multa saecula "biblia sacra" erit astrologorum.

Diocletiano (234 - 305 A.D.) imperante Imperium Romanum in monarchiam absolutam evadit. Anno Domini 297° tabula conscripta decretum est, geometriae studium omnino bonum esse, artem autem "mathematicam" damnandam et prohibendam. Hoc enim tempore, "mathematicus" sicut "Chaldaeus" - nam paene omnes astrologi erant Chaldaei - intellegebatur.

Anno 529° Iustinianus Scholam Atheniensem, quae ultimum erat philosophorum, sapientium, astronomorum astrologorumque refugium, clausit. Anno 533° omnes "mathematici", malefici et ceteri similes" capitis damnati sunt.

Tunc astrologi et philosophi in Persiam fugerunt, ubi novae scholae ortae sunt, quae scientiae Graecae spiritum vivum servaverunt et cum Indiae et Arabiae sapientiam composuerunt. Inde quattuor post saeculis, astronomia et astrologia, per Hispaniam et Siciliam transeuntes, totam in Europam revererunt.

Majoralis Ataulfus VIANI lingua Nicensi scripsit.
Clemens Desessard in linguam Latinam vertit.



SOCIETAS LATINA

Consociatio editrix
commentariorum periodicorum quibus titulus «Vox Latina»
favore Vniversitatis Saraviensis comparatorum



Moderatoribus Honoratissimis
RVMORIS VARIII
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

D-6600 SAARBRÜCKEN II
Universität - FR 6.3
Tel. (0681) 302-3392 (3320)
(0681) 302-3192

Die 17.12.1992.

Domini Dominaque Doctissimi,

Vestros fasciculos «RVMORIS VARIII» quoties accipio, libenter singulas paginas perlego. Interdum tamen doleo, quod stilistica Latina non ita convenienter observatur.

Hoc etiam in novo fasciculo accidit. Itaque ausus sum de hac re quattuor paginas scribere, quas, si fieri potuerit, - quaeso - divulgare velitis in proximo (vel postero quodam) fasciculo RVMORIS VARIII.

Id autem mihi tantummodo cordi est, quo cupiam Latinitatem bonam proponere et exhibere. Ergo Vos nequaquam offendere volui, sed amicaliter adiuvere.

Si autem insuper fieri potuerit, velitis - quaeso - etiam nostra seminaria Latinitatis vivae anni 1993ⁱ indicare.

Denique in dies festos Vobis singulis universis optima quaeque precor et exopto annumque novum vere prosperum.

Optime valetel

Dabam Saraviponto die 17^o m. Dec. anno 1992^o.

**DE QVAESTIONIBVS QVIBVSDAM
in fasciculo 95^o «RVMORIS VARI» tractatis (Kal. Nov.
a. 1992: 4/1992)**

Primo valde gavisus sum, quod Daniel Weissmann in hōc fasciculo 95^o «RVMORIS VARI» Rigobertam Menchu, mulierem Indianam praemio Nobeliano meritissime exornatam, commemoravit verbisque suis celebravit. Tamen idem denuo inventionem Americae per Christophorum Columbum anno 1492^o (Octobris die 12^o) factam quodammodo condemnavit, quasi navigationibus Columbianis nihil nisi calamitates Indianis conflatae essent. Videtur vero idem aliquatenus oblitus esse, qualibus quantisque crudelitatibus Indiani ipsi, quorum quidam numero non pauci anthropophagi fuerunt, inter se digladiati essent et quam immanes et immisericordes ipsorum tyranni et dictatores fuissent.

Certe Columbus eiusdemque nautae, sed multo plus ii, qui illos secuti sunt, non raro multo magis occupatores fuerunt auri fame sacra impulsus quam investigatores et pervestigatores continentis incognitae. Ceterum Columbus, quamdiu vixit, putavit se viam occidentalem ad regiones Indiae feliciter invenisse. Tamen per Europaeos etiam multum humanitatis Indianis allatum est, id quod nunc temporis propter publicam opinionem communem plerumque tacetur. Nam Hispani quoque numero non pauci, quamvis non raro sine effectu, iudicaverunt iura hominum, etiam illorum indigenarum, tuenda esse et observanda.

Hac in re nihil dixerim de christianitate salvificā, quam nunc multi Europaei ipsis beneficiis hereditatis christianae libenter copioseque usi et nixi perniciositer abiciunt. Haec hactenus de illo evento, quod est immerito nimis controversum. Ceterum, nisi Christiani in Americam venissent, illa Indiana, quae est praemio Nobeliano sollempniter insignita, «Rigoberta» non vocaretur.

Permittamur autem nonnulla addere et subiungere, quae spectant ad sermonem Latinum atque ad genus dicendi scribendive vere Latinum vel Latinus.

p. 75: scribendum erat: «... Oslōae, in urbe principe Norvegiae, ...»

Apte accidit, quod (bis) [sic scribendum, si adverbium vel simile ponitur, ubi scriptum est «accidit»]

symbolum est pacis [non: symbolium]

In plantaribus caféariis [non: planteis; cfr MIR-CALVANO, Nuovo vocabulario della lingua Latina (Italiano-Latino, Latino-Italiano), Castelfidardo - Milano a. 1986, p. 194: piantagione = plantária, -ium n.pl.]

trucidati [non: trucudati]

p. 76: in exilio [non: exsilio]

Quatimala [sic Latine, non Guatemala], cfr EGGER, C.: Lexicon nominum locorum, Officina libraria Vaticana a. 1977, p. 136.

«Ich heiße Rigoberta Menchu und so wurde mein Bewußtsein geboren» = Latine: «Rigoberta Menchu vocor, quae mihi conscia sic sum facta...»

Complura autem, quae Emmanuel [sic Latine!] Bernard scripsit, parum sunt Latina [pp. 77-81]. Qua in re quaestio oritur, spectetne «RVMOR VARI» tantum ad Germanophōnos an etiam ad alios. Nam explicationes intersertae tantum Theodisce praebentur. Itaque adnotare volumus saltem haec:

p. 78: 'conductor' (bis) non est is, qui Theodisce dicitur 'Kondukteur' vel Italice 'conduttore'. Nam 'conductor' est, ut est in «THESAURO LINGVAE LATINAE» (Lipsiae a. 1900 sqq.) [= THLL] IV 163,45 sqq.: (homo) qui aliquem vel aliquid mercede condúcit.

Itaque ille officiator vel officarius «ferrivarius» Latine dicendus est aut «ductor tráminis» aut «comitátor tráminis»:

cfr THLL III 1793,53-55: ? comitátor, -ōris m. is qui comitatur: HOMER. 191 durus comitator Achilles.

MLW [= Mittellateinisches Wörterbuch, München-Berlin a. 1967 sqq. (= Germanorum lexicon Latinitatis mediaevalis)] II 923,40-43: comitator, -oris m. comes - Begleiter.

Cfr THLL V 1 2167,63 sqq.: ductor, -ōris m.

I de hominibus: ii qui ducunt homines ...

II de bestiis: ...

III de rebus: ...

pp. 78: Perperam scripta sunt haec:

viam ferratam escendi ... cum via ferrata iam moveretur ... via ferrata constitit (bis) ... e via ferrata exeundum. Ceterum melius breviusque dicitur «ferriviā»,

- cfr (Vaticanum) LEXICON RECENTIS LATINITATIS, volumen I: A-L, Libraria editoria Vaticana a. 1992, p. 304: ferrovia (Ital.) = ferrivia, -ae, f.*
In his locutionibus adnotanda sunt haec: via ferrata non movetur ... via ferrata [hōc sensu] non consistit, eqs. [et quae sequuntur], sed Latine dicatur: trāmīnē vehi, trāmēn conscendere / inscendere, e trāmīne egredi/escendere/descendere.
- p. 78: lacus Rivarius [Walensee]
 p. 78: caerulea via ferrata (Straßenbahn)
 p. 79: vehemur ista via ferrata
 caerulea via ferrata vecti
Latine dicatur: currus/currūs transviarius/-ii sive currus/currūs ēlēctricūs/-cī; *cfr* MIR-CALVANO, *op. mem.*, p. 268: currus tramviarius elēctricus; *cfr* HELFER, Christian: Lexicon Auxiliare (Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch). Editio tertia, Saarbrücken a. 1991, p. 534: Straßenbahn = *trānsviāria raeda [L 56,12]; *ferrīvia *strātāria.
- p. 78: Iuppiter ... serenissimus - Iuppiter caeruleus -:
 Iuppiter, qui in litteris Romanis tantum exstitit, non est more pāgānicō nominandus, sed simpliciter dicatur: caelum serenum/serenissimum, caelum caeruleum.
- p. 79 (et p. 81): transiimus pontem rivae (= Latine: litoris).
 p. 79: multitudinem autocinetarum [recte: autocinetorum; illud enim vehiculum vocatur 'autōcīnētūm, -ī n.']; *cfr* (Vaticanum) Lexicon recentis Latinitatis, *op. mem.*, p. 64: automobile = autocinetum, i, n. **Syn.** automataria raeda. eqs [= et quae sequuntur].
- p. 79: Schleifergasse = vicus acutiatorum [acūtiātor = Schleifer]
 p. 79: avunculum fratresque consobrinae = avunculum et consobrinus
 p. 79: in cubiculum [nōn: dormitorium]
 p. 79: de affinibus [recte: cognatis et agnatis] - ad portam dormitorii = [recte: ad forem cubiculi] - ad dormitorium [recte: cubiculum] reverti.
 p. 80: via stationis (Bahnhofstraße) = via stātīōnālīs
 p. 80: institutum balneae (Badeanstalt) = balneum publicum / urbicum

- p. 80: multitudinem autocinetarum, quae praeteribant: recte: autocinetorum, quae praetervehebantur
 p. 80: ecclesia ... «Fraumünster» = ecclesia Beatae Mariāe vel ecclesia Deipārae (sive Deipartrīcis) - ante domum ..., ex qua, ut erat usa: recte: ut erat solita.
 p. 81: venisti, ut me a loco laboris mei abducas: recte: ut me a domo operis deduceres et comitareris.
 pp. 86-94: De fraudatoribus deceptis (Barbara Maier).
 Haec fabula lepida est. Tamen denuo generatur quaestio generalis, spectentne verba exhibita ad solos germanophōnōs. Si enim ad aliarum quoque nationum lectores lectricesve spectant - id quod ex symbolābus quibusdam appāret, - etiam instructiones scaenicae Latine scribendae sunt (vel erant), velut hae:
 p. 88: Afer procedit scōpas tenens et verrere incipiens ...
 Laelius prorumpens: ...
 Laelius: ... (Qui dii se abscondunt)
 p. 89: Tullia: (abscondita)
 Afer: (absconditus)
 Phoebus: (submissa voce) ... (magnā voce et pathētīcē)
 Afer: (accedens) ... (submisso) ... (magnā voce) ...
 Poebus: (pathētīcē) ... eqs.
- Haec hactenus. Pauca perutiliter emendanda proponere ausi sumus, quod Latinitas bona genuināque nobis cordi est. Ceterum etiam in hodiernis rebus tēchnicīs vera Latinitas observanda est. Ubi vero exempla antiqua non exstant, ibi ānālōgicā exempla antiqua quaerenda sunt convenienterque observanda. Hōc si fecerimus, sermo noster Latinus a populāribus (sive compatriōtis) nationis propriae bene intelletur, verum etiam similiter ab alienigenis. Hunc in modum non solum communitas quaedam Europaea feliciter percipitur, sed etiam communitas concordīāve quaedam mundana.

Sărāvīpōntī 10.XII.1992.:

C. EICHENSEER
 Sărāvīpōntānūs



De montium ascensione saeculo XVI°

Duo scripta Latina ab humanistis Bernensibus composita. Editionem, translationem in linguam Theodiscam commentariumque curavit Max A. Bratschi.

Nessus et Stockhornus montes sunt in regione superiore pagi Bernensis in Helvetia. Hi montes iam ante 400 annos ab oribatibus, qui prospectum magnificum, vias ascendendi resque mirando dignas illius regionis descriperunt, petebantur. Qui oribatae et huius scripti auctores, qui saeculo XVI° vitam agebant, humanistae Bernenses erant et linguae Latinae periti. Etiam de rebus botanicis et geographicis et de

quaestionibus philosophicis consideraverunt. Itaque hodierni quoque legentes in illis regionibus migrantes auctorum vestigia sequi poterunt.


Liber 94 paginarum continens scriptum Latinum, translationem commentariumque amplum et utilissimum emi potest pretio 15 Francorum Helveticorum.

Numerus mandatelae: ISBN: 3-7225-6883-8

Domus editoria:



Postfach 802
CH-3607 Thun 7



Niesen und Stockhorn

**BERG-
BESTEIGUNGEN**
IM 16. JAHRHUNDERT

Zwei Lateintexte
von Berner Humanisten

Herausgegeben, übersetzt und
kommentiert von

Max A. Bratschi

Seminaria «Latinitatis vivae»

anno 1993° futura

Morsacense et Vavriense (Belgicum)

55. Morsāci [Morschach] in Helvētiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.
25.7.-31.7.1993.

56. Vavriense [Wavre] in Belgica, qui locus ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest, ubi praeter satis spatiosum oecum institutorium multae commoditates exhibentur.
6.8.-13.8.1993.

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroases qualitatis variae fiunt. Sed in nostris his seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix ita fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris *vere Latini*, ut et pronuntiatius *vere Latinus* proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque Latine loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset *Latinitatis omnium aetatum vere peritus*. Eius cooperatrix, *Drrix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 150 marcae Germanicae solvenda sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (*pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est*):

VOX LATINA
18353-661
Postgiroamt Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Mörsacensē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Ericam Roth
Aeschistr. 6 (numerus telephonicus:
CH-3110 Münsingen 031/721 0823)

Vavriensē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonicā adeant satis matüre D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76 (numerus telephonicus:
B-1040 Bruxelles 4 (02) 735 04 08)

SOCIETAS LATINA

FERIAE LATINAE NICENSES SEPTIMAE

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSES

C E L E B R A B U N T U R

A Dominica die 22^a m. Augusti 1993, hora 18^a
ad Dominicam diem 29^{am} m. Aug. 1993, hora 14^a.

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani

"L A T I N I T A S"

Schedae inscriptionis rogandae sunt a :

M. Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU

Tel. 93 49 01 91 vel 93 08 67 93



Hic solutionem inscribe et
chartam mitte!

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Nomen emitentis et inscriptio cursualis:

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich


AZB

8050 Zürich

5+6/92

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMVS 15

FASC. 96